Vol. 2. Arp. 8. 14 24 65

DISSERTATIO JURIDICA
DE
JURISDICTIONE PERSONALI,

QUAM
FAVENTE DIVINO NUMINE,
IN
UNIVERSITATE FRANCOFURTANA,
PRÆSIDE
DN. JOANNE à SCHULTZ SZULECKI, JCTO,
CONSILIARIO REGIO, & PROFESSORE JURIS PUBLICO ORDINARIO,
Dn. Mæcenate & Studiorum Promotore omni religionis Cultu ſanctè devenerando,
Publicæ disquiſitioni
Ad D. III. Septembr. An. M DCCI.
Submittit
SAMUEL SCHMETTACH,
Berlinas Marchicus.

****

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Viris Illuſtrisſimis, Excellentisſimis & Generoſisſimis

DOMINIS,

DNO. PAULO à FUCHS,

Auguſti atque Serenisſimi Borusſiæ Regis Status Miniſtro, & Conſiliario Intimo, Rerum Feudalium Directori, Conſiſtoriique Regii Præſidi Eminentisſimo,

Domino Hæreditario in Malchau, Heinersdorff, Fuchshöffen, &c. &c.

DNO. JOANNI FRIDERICO de RHETZ,

Auguſti atque Serenisſimi Borusſiæ Regis Status Miniſtro, & Conſiliario Intimo, Rerumque Judicialium Directori gravisſimo,

Domino Hæreditario in Groſſen Behnitz &c. &c.

Digitized by Google

DNO. EUSEBIO
à BRANDT,

Auguſti atque Sereniſſimi Boruſſiæ Regis Status Miniſtro Intimo, & Provinciarum Peitz & Cotbus Præſidi Digniſſimo,
Domino Hæreditario in Hermsdorff, &c. &c.

DN. JOACHIMO
SCULTETO
ab UNFRIDT,

Auguſti atque Sereniſſimi Boruſſiæ Regis Conſiliario Cameræ & Judicii Intimo, Rerumque Eccleſiaſticarum Directori Graviſſimo,
Domino Hæreditario in Breiten Werder.
&c. &c.

Dominis ſuis Gratioſiſſimis.

Digitized by Google

Illuſtrisſimi & Excellentisſimi

VIRI,

Domini Gratioſisſimi!

SUnt certè fatales rerum omnium periodi, quas mortalium nemo in maximâ hâc totius Societatis humanæ Univerſitate declinare poteſt, â quibus ne ipſæ quidem MUSÆ, Privilegiô aliâs Securitatis plenioris munitæ, immunes eſſe ſolent; cujus fati inclementioris ego quoq; innocens penitus, nec ullâ ſuſpicione laborans, non te-

Digitized by Google

ſtis tantùm fui, ſed & pars periculi. Turbida verò VIADRINÆ NOSTRÆ *facies illa, fatò ſuperatò, frontem ſuam exporrigere & explicare videtur. Divinæ idcirco Clementiæ debentur gratiæ, quæ benigniora jam nobis otia dedit, ſed &* VOBIS *Diis Tutelaribus*, MOECENATES SUMMI, *multum nos debere profitemur, quòd pro inſito in Artes Liberales favore, mala hæc Omina, quæ ultimum Heliconi noſtro Vale minitabantur, Prudentiâ veſtrâ, Ope & Conſiliò avertiſtis. Blanda hæc Reſtitutionis in integrum recordatio, mihi quoq; ſtimulum injecit, ut monumentò quòdam Literariò, hanc ætatem conſignarem. Enim verò, cum Pagellæ iſtæ Faventes deſiderarent Patronos, MAXIMIS NOMINIBUS VESTRIS easdem inſcribere conveniens duxi. Dubitaveram equidem, utrum hoc temeritatis periculum ſubire liceret: aſt veſtra in Muſarum Filios Benevolentia, timidum animum facilè correxit, maximè cum & apud me tot & tanta ingentis favoris extent documenta, quæ omnem animo meo metum funditùs excuſſerunt. Præſens Diſputatio Jurisdictionem Perſonalem exhibet, quam Superiori REGIS AUGUSTI indultu VOBIS merito veſtro conceſſam, ita ſanctè excolitis, ut non niſi VESTRIS*

NOMI-

NOMINIBUS debeatur, & hoc ferè ſolò ornamentò gloriari posſit. Agite ergo MECÆNATES! atq; benignò & gratioſò vultu primitias haſce meas eo adfectu accipite, quo Artaxerxes quondàm Perſarum Monarcha, aquam ab homine pagano, cavis manibus dono datam, aut Ludovicus Galliarum Rex, oblatam ab Agricolâ rapam ſuſcepit, atque decantati favoris veſtri radiis, me, meaq; ſtudia, non Patriæ tantùm, ſed & VESTRIS præcipuè mancipata cultibus & ſervitiis, benignisſimè fovete. Exiguum equidem hoc munusculum literarium eſt, religione tamen & pio affectu, pingvem Hecatomben, multis paraſangis facilè poſt ſe relinquit; & cum in hœdo & mala ſalſa placari ſciam Numina, & hoc devoti pectoris Sacrificium, VOBIS haud ingratum fore, certò certiùs perſuaſum mihi habeo. Vivite ergo Regni, Electoratus, & tot aliorum Principatuum STATUS MINISTRI, tanto decore, quò Vos AUGUSTUS REX ornavit & perpetuò fovet, DIGNISSIMI. Vivite, & in ſeros usque Nepotes florentes vigete, in Pàtriæ & Reipublicæ incrementum, Jlluſtrisſ. Familiarum Splendorem, Muſarum & Clientum, meique,

(ſi

(ſi hoc quoque addere licèt) conſtans præſidium. Quæ religioſa vota nuncupat, is qui religionis legem ſibi dixit perpetuam, ducitq́; ſimul honori, nuncupari & eſſe

Illuſtrisſimorum Excellentisſimorum & Generoſisſimorum Nominum Veſtrorum

Devotisſimum Clientem & humillimum Servum

S. SCHMETTACH.

Digitized by Google

DISSERTATIO
DE
JURISDICTIONE PERSONALI.

SUMMARIA.

§. 1. *Generalia præmittuntur.*

§. 2. *Jurisdictio perſonalis alia Subjectivè alia Objectivè talis eſt.*

§. 3. *Subjectivè conſiderata quid ſit & quomodo reali tàm patrimoniali quàm territoriali opponatur, exponitur.*

§. 4. *Cauſa efficiens jurisdictionis ſubjectivè perſonalis docetur.*

§. 5. *Qv. an Legatus Pontifici S. à Latere ubiq; habeat jurisdictionem perſonalem?*

§. 6. *De Subjecto Jurisdictionis Perſ. agitur.*

§. 7. *De forma ſecundum quam procedendum jurisdictionem perſonalem habenti.*

§. 8. *Tranſitus fit ad jurisdictionem perſonalem objectivè conſideratam.*

§. 9. *Ejus acquirendæ cauſa eſt primò occupatio & patientia populi.*

§. 10. *Deciſio quæſtionis exemplo confirmatur.*

§. 11. *Secunda eſt character Principum indelebilis & qui principem repræſentat, Legati etiam extra territorium.*

§. 12. *Tertia cauſa eſt voluntas Principis mandantis vel delegantis jurisdictionem perſonalem.*

§. 13. *Quarta eſt conſenſus partium.*

§. 14. *Quinta eſt delictum.*

§. 15. *Quid ſentiendum de diſtinctione inter Majeſtatem realem & perſonalem. &c. &c.*

§. I.

SPecioſo Diſſertationem exornare titulo, res quidẽ eſſet ingenii ad captandum Lectoris favorem & gratiam legendi conciliandam; ſicut hedera ſuſpenſa vino etiam non vendibili commendationem tribuit. Aſt cum apertus & perſpicuus ſit præſentis materiæ ſenſus, non adſcititio illam adumbrare, ſed genuino exprimere colore animus eſt, ne & nos illa cenſura feriat. *Curamus, ut numerus periodi conſtet: non curamus, ut Senſus. Plerią; neceſſaria deſerunt, dum ſpecioſa ſectantur.* Præterea generalem Jurisdictionis explicationem omittimus, omnibusq; notam eſſe meritò præſupponimus; materiâ quippe iſtâ tot commentariis illuſtratâ, ut Iliada poſt Homerum ſcribere neceſſum eſſet.

§. II.

In præſentem itaq; materiæ delectæ explicationem tantùm defixi, thematis noſtri conjuncti vim ac ſenſum detegemus, paucis primùm expoſituri; Quid per Jurisdictionem perſonalem intellectum velimus? Nimirum talem intelligimus, quæ vel (1.) *Subjectivè* imperantium, vel (2.) *Objectivè* parentium, perſonis ita inhæret, ut nullo territorii reſpectu habito perſonas ipſas tantùm afficiat, eaſdemq; non egrediatur, & cum perſonis regulariter exſpiret.

§. III.

JURISDICTIO PERSONALIS (1) *Subjectivè* conſiderata, perſonis Jus dicentium cohæret. *c. 2. de Officio Leg. in 6.* cui opponitur Jurisdictio realis, rei ipſi, hoc

eſt

Digitized by Google

eſt ditioni, quam quis Jure Dominii vel alio jure reali posſidet, cohærens. Et hæc iterum eſt vel *PATRIMONIALIS*, quæ privato etiam competit; prædium vel caſtrum cum Jurisdictione, ex ſpeciali Principis Privilegio, vel immemoriali præſcriptione posſidenti, ipſiq; prædio magis cohæret, quam perſonæ. Carpz. *L. 2. Reſp. 11.* Berlich. *P. 1. Concl. 2.* Vel *TERRITORIALIS*, quæ ſoli Principi vel jura Principum habenti competit. Conf. Strauch. *Diſſ. Jur. Publ. L. 1. §. 20.* ubi controverſiam inter Regem Daniæ & Civitatem Hamburgenſem ventilatatam vide.

§. IV.

Cauſa Jurisdictionis *Subjectivè* perſonalis efficiens, Princeps territorii eſt, vel quicunq; alius Superioritatem territorialem habens, fatente id ipſum Jure Canonico, Principum Poteſtati non plenè cœterum favente *C. in apibus 41. C. 7. qu. 1.* Ex hoc fonte Jurisdictio Magiſtratui inferiori competens derivanda eſt, ſive in ſpecie Jurisdictio ſimplex dicatur, ſive Imperium mixtum, ſive etiam merum, quod moribus Germaniæ, ſuperior Jurisdictio dicitur. Omnes hi veri & ſupremi imperii effectus, quibus inferior fruitur, non propriâ vi, ſed à ſupremo Magiſtratu conceſsâ nituntur. Non enim patitur ſupremum Imperium diviſionem vel communicationem Sui, quia ſupremum eſt; effectibus tamen ejus quibusdam vel ex pacto, vel privilegio, vel immemoriali præſcriptione gaudere poteſt vel Populus, vel potiores quidam ex populo. Omnes hi tituli acquiſitæ à privatis Jurisdictionis, præſupponunt conſenſum Principis vel ſuperioris expresſum vel tacitum. Is enim ſolus mandare Jurisdictionem poteſt, qui eam ſuo Jure habet *L. 1. & 5. ff. de Officio*

Digitized by Google

ejus cui mandata eſt Jurisdictio & L. 5. ff. de Jurisdict.

§. V.

Hinc jam facilè colligitur, quàm ſit imbellis Romanenſium Sententia; quâ aſſeritur Legato Pontificis S. à Latere dicto, jurisdictionem perſonalem competere in Regnis ac ditionibus eidem religioni addictis *c. 2. X. de Officio Legat. in 6.* Quo ipſo, Simiæ inſtar imitati ſunt officium Seculare Pro-Conſuli competens; qui Romam egreſſus etiam in Provinciis ſibi non commiſſis perſonalem jurisdictionem exercebat *L. 2. ff. de Officio Pro-Conſulis.* Nullum Pontifici in Regna Jus eſſe non Evangelicæ tantum, ſed & Romano-Catholicæ, limatioris Eccleſiæ argumentis evictum eſt; teſte *Gramondo*, viro Seculari & Parlamenti Tholoſani Præſide *L. XIII. Hiſt. Gall.* teſte itidem *Maimburgio Tract. de la decadence de l' Empire*, quamvis idem in *hiſtoria Lutheranismi & Calvinismi* diverſum ſtatuat; Optimè verò refutatus à *Seckendorffio*, partim etiam ab *Autore tractatus*, cui titulus eſt: *Hiſtoire du Papisme, oppoſeé aux grandes accuſations repandues dans l' ouvrage du Sieur Maimbourg*, teſtibus etiam *Richerio in Hiſtoria concil.* Marcâ & Chopinô. Imò in ipſo Imperio Romano hæc à Legatis Pontificiis ſibi arrogata Jurisdictio perſonalis ab Imperatoribus rejecta fuit. Illuſtre ejus rei exemplum tradit Radevicus, & ex eo Schilterus *Tract. de Libert. Eccleſ. Germ. L. 5. c. 2. v. 3.* verbis: *Incautus nuncius, qui, cum ſtrepitus & turba inter Optimates regni de tam inſolita Legatione magis ac magis incaleſceret, quaſi gladium igni adderet, dixiſſe fertur: A quo ergò habet, ſi à Domino Papa non habet imperium? Ob quod dictum eo proceſſiſſe iracundiam, ut Otto Palatinus Comes de Bavaria prope exerto gladio cervici illius mortem intentaret, niſi Fridericus Imp.*

aucto-

auctoritate præſentia ſua interpoſitâ tumultum compeſcens Legatos dimiſiſſet, addens in mandatis, ne hàc vel illàc in territoriis Epiſcoporum ſeu Abbatum vagarentur, ſed rectâ viâ, nec ad dextram, neq; ad ſiniſtram declinantes reverterentur ad urbem.

§. VI.

Subjectum ipſum Jurisdictionis perſonalis eſſe poteſt, quicunq; naturâ vel Lege judex eſſe non prohibetur *L. 12. §. 2. ff. de Judiciis.* Quoad effectum verò is iterum vel pleniore poteſtate ſubdelegandi & exequendi inſtructus eſt *L. 5. C. de Judiciis c. quarenti X. de Officio & Poteſt. deleg.* vel tantùm cauſæ cognitionem habet, ſine ullâ delegandi vel exequendi facultate. Utroq; caſu perſonalis eſt *ſubjectivè* Jurisdictio. Mortuo itaq; Judice delegato, Jurisdictio hæc perſonalis cum perſonâ exſpirat, neque tranſit in Heredes, neq; in Conſortes Commiſſionis *L. 6. ff. de Jurisdict.* niſi in Inſtrumento mandatæ Jurisdictionis, (quod moribus commiſſoriale dicitur) adjecta ſit clauſula; *ut abſente vel mortuo reliqui in cauſa procedant arg. c. 13. X. de Reſcript.* Carpz. *in Praxi For. T. 2. art. 3. n. 24.* Mortis, tamen mentionem neceſſariam eſſe faciendam putamus, ſi in caſum mortui unius commiſſarii continuanda eſt commiſſio. Aliàs ſtricto Jure, ob perſonarum induſtriam electam, morte unius ſolveretur commiſſio. *arg. L. 35. & ſeqq. ff. pro Socio c. 42. X. de Officio Judicis deleg.*

§. VII.

Formam Jurisdictionis *ſubjectivè* perſonalis, ſi conſideremus, adeò illa reſtricta eſt ad characterem Commiſſarii perſonalem, ut (1.) extra Commiſſionis terminos progredi non poſſit, cum Commiſſio ſit

ſtricti Juris, niſi per neceſſitatem conſequentiæ, quædam cauſæ principali cohæreant *c. 5. X. de Officio Jud. deleg.* Huc pertinet monitoria illa clauſula Inſtrumento Commiſſionis plerumq; inſerta, ut *Commiſſarii ubiq; ſervato Juris ordine procedant.* (2.) ut, quandocunque actum quendam Jurisdictionis exercent, mandati ſibi muneris mentionem injiciant; adjectâ ſimul civilitatis clauſula v. c. citando quidem partem vi mandatæ Jurisdictionis, reſpectu tamen ſui, humanisſimè invitando: Rulandus *de Commiſſ. P. 1. L. 5. c. 3.*

§. VIII.

Expoſitâ jam paucis Jurisdictionis *Subjectivè* perſonalis materiâ, ad explicationem Jurisdictionis *Objectivè* perſonalis convertimur. Per hanc nihil aliud intelligimus, quam poteſtatem imperantis in perſonas parentium, nullâ territorii ratione habitâ, quæ reſpectu parentium adeo perſonalis eſt, ut non habito territorii vel Jurisdictionis ordinariæ, vel rei ſitæ, vel negotii geſti reſpectu, Judex quis eſſe posſit, quicunque is ſit, qui finem controverſiæ imponere, aliosq; Jurisdictionis actus exercere valeat.

§. IX.

Cauſæ vel tituli Jurisdictionis *objectivè* perſonalis acquirendæ varii ſunt, quorum (1) loco ponimus *occupationem* ex juſto titulo ſuſceptam vel longâ Subjectorū patientiâ confirmatam, per quam Imperium & Jurisdictio acquiri poteſt in homines, ſive ſui Juris ſint, ſive alterius Principis Poteſtati ſubjecti. Occupationis hominum atq; rerum, quæ nullius ſunt, & quæ naturali gaudent Libertate, Juſtitia, hoc argumento nititur. Quicquid alienari, illud etiam occupari poteſt. Imperium verò in populum certis caſibus alienari poſſe

Digitized by Google

fuſius deductum eſt à Grotio *L. 2. c. 6. §. 3. & 4.* Item à Puffendorff. *L. 8. c. 5. §. 9. & 10.* quàm ut crambem hìc bis coquamus, E. etiam per occupationem ab aliquo acquiri poteſt. Conſtat id exemplô Nimrodi Gen. 11. qui non vi Jurisdictionis territorialis, ſed occupatione & longâ parentium patientiâ Jurisdictionem perſonalem ſibi acquiſiverat. Quin imò privata etiam imperia occupatione acquiri æq; ac publica posſunt in caſu, ſi Infans á parentibus derelictus occupetur ab Extraneo: Tunc enim tantundem Juris hinc extraneus conſequitur, quantum Pater naturalis habiturus fuisſet. Hoc tamen argumentô abutitur Hobbeſius, quando Matri Imperium in Liberos ex ſe natos tribuit occupatione acquiſitum *L. de Cive IX. c. 2.* Sequeretur enim inde, Obſtetrici potius deberi patriam poteſtatem, cum illa primum infantem ſanguine adhuc madentem apprehendere ſoleat.

§. X.

Formemus porrò alium caſum; quò evidentius conſtet, in totum populum, Jure Occupationis, & accedente Conſenſu populi expresſo, vel patientia ejusdem jurisdictionem acquiri poſſe. Vid. Grot. *L. 2. c. 4. §. 11.* Sit exempli loco Populus Iſraeliticus, qui calamitoſa & intolerabili Servitute à Pharaone presſus, ipſo *J. N. & G.* Jugo Tyrannidis ſe ſubtrahere poterat, & accedente nutu divino ſe, actu ipſo, ſubduxerat. Quæritur jam quænam Moſi, ejusdemq; in Imperio Succesſori Joſuæ fuerit Jurisdictio in Populum, qui ſedibus ſuis derelictis, in peregrinô ſolô tot annis migraverat? Nulla certè territorialis, antequam antiquam ditionem majorum ſibi debitam, & decreto Divino deſtinatam occupaverant. Grot. *L. 2. c. 3. §. 4. n. 1. c. 4. §. 7.* Sola E.

juris-

juriſdictio in Populum erat perſonalis, non realis; nullo adhuc tum temporis, territorio exiſtente. Neqve enim deſinit eſſe Populus; ſi forte is loco migraverit, vel ſponte vel coactus; quod Carthaginenſis Populi exemplo conſtat, tertio bello Punico victus, jusſusq; aliò migrare apud Flor. *L. 11. c. 18.* Aliud porrò exemplum refert ex Scriptoribus *Grot.* cùm ad Pacem Græciæ jurandam Lacedæmonii negarent admittendos Meſſenios, quod ejus muri eſſent diruti, contra eos pronunciatum eſt. *L. 2. c. 9. §. 7.* Rationem ipſe Grotius deciſioni huic adſtruendæ præbet *L. 2. c. 3. §. 4. n. 1.* qvod Imperii, atq; omnis Juriſdictionis Objectum primarium ſit perſonarum, quibus imperatur, & quæ Imperium intelligunt: Territorium verò & ſecundarium Objectum imperii. Propriè enim loqvendo perſonis imperamus, rebus verò dominamur.

§. XI.

Succedit 2da cauſa Jurisdictionis Perſonalis, Character nimirum Majeſtatis indelebilis, ſive Princeps in ſuo, ſive in alieno territorio fuerit. Quo etiam Jure gaudere Legatos, pro perſonis mittentium habendos vult Grot. *L. 2. c. 18. §. 4.* Ratio rationis quidem Grotiana non omni penitùs deſtuitur fundamentô; qvod nempe Princeps vel ejusdem Legatus in alterius territorio degens, fictione quâdam, quaſi extra territorium illud conſtituatur *L. 2. c. 18. §. 4. n. 5.* Potior tamen nobis videtur ratio cauſa Principum communis, ob quam omnia venerationis extremæ ſigna hoſpiti Principi exhiberi ſolent. Quæ tamen hoſpitii Jura ſæpe pro temporum ratione, modò ſplendidiora & ampliora, modò etiam anguſtiora extitiſſe, teſtatur noſtræ ætatis parentumq; noſtrorum memo-

Digitized by Google

memoria. Qvantam Jurium Majeſtatis partem exerceri ab Imperatorib9 paſſi fuerint Reges Galliarum in Regno ſuo, teſtis eſt Mornacius. Negata verò atq; vitio fuit verſa in eâdem Aulâ, uſurpata à Reginâ Sved. Chriſtinâ Poteſtas eadem ſive Jurisdictio in Domeſticos Perſonalis, ſuo cœterum Characteri Regiô conveniens. Neq; ignota eſt illa de Jure Franchitiarum *(le Droit de Franchiſe dicto)* controverſia Romæ toties ventilata.

§. XII.

Tertia cauſa Jurisdictionis perſonalis eſſe poteſt Voluntas Principis, quâ Poteſtas Juris dicendi, certis perſonis, in certas perſonas concedi ſolet; eaq; iterum eſt vel *Specialis* ad certã cauſam,& ad certas in individuo perſonas reſtricta, qvâ finitâ ipſa quoq; Jurisdictio extincta eſt, vel *Univerſalis*, cujus Objectum eſt univerſitas cauſarum & perſonarum. *Specialis* nihil aliud eſt, quàm mandata Jurisdictio, vulgò Commiſſio dicta, de quâ ſuperi9 §. 7. actum. *Univerſalis* verò etiam quidem agnoſcit Superioris voluntatem, ita tamen, ut alicui principalitèr & ſuo Jure competat, h. e. Officio Magiſtratus cohæreat. Qvalis Jurisdictio Perſonalis Rectori Univerſitatis, item Præfecto militiæ conceſſa eſt; reſtricta tamen ad perſonas Studioſorum & Militum. Utriq; verò judici extra jurisdictionem ſuam in ſui Ordinis cives ſibi competentem jus dicenti impunè non paretur, imprimis ſi ſit notoria incompetentia, non obſtante *l. 5. ff. de Judiciis.*

§. XIII.

Quarta cauſa eſt conſenſus Partium expreſſus vel tacitus. Aſt ratione objecti, talem oportet eſſe perſonam, cujus jurisdictio proroganda eſt, quæ ordinariâ ſimul Jurisdictione eſt inſtructa *L. 1. ff. de Jurisdict.*

Privato itaque homini, cum Juriſdictio à privato dari non poſſit, neq; etiam ejus Juriſdictio prorogari poterit; cum non entis nulla ſint accidentia, nulli Effectus *L. 3. C. de Juriſdict.* Non obſt. *arg. L. fin. C. ff. de receptis arbitris;* quæ de compromiſſarii arbitri judicio agit: cujus quidem Sententia eandem vim habet obligandi partes, ſed non vi Juriſdictionis, ſed pacti vel transactionis *L. 27. §. 2. ff. & l. 5. C. de recept. arbitr.* Executio itaque ſententiæ arbitri, tanquam verus effectus Juriſdictionis non à poteſtate privati arbitri, ſed à Judicis ordinarii autoritate dependet. Ordinarii verò judicis, etiam incompetentis, ratione loci juſta & legitima eſt prorogatio, eaque verè perſonalis, quia de perſona ad perſonam prorogatur *L. 14. ff. de Juriſdict.* non verò de loco ad locum Lauterb. *ad tit. ff. de Juriſd. p. 26. pr.*

§. XIV.

Ultima deniq; cauſa ſit delictum, quo delinquens perſonam ſuam publicè obſtrinxit ad pœnam delicto conformem ſuſtinendam, ſive in loco delicti deprehenſus fuerit, ſive alibi. Ita nullo territorii reſpectu habitò transfugas, ubicunq; reperti fuerint, occidere licebit. *L. 3. §. fin. ff. ad L. Cornel. de Sicariis.* Idque ad omnes delinquentes meritò applicari poteſt; cum vitioſa illa delicti qualitas ambulet cum perſonâ, & cujuslibet Magiſtratus juriſdictioni ſubjiciatur, Divinâ Nemeſi ubiq; locorũ ultores ſceleris excitante. Cujus vim Cain ſenſiſſe videtur, cum exclamasſet. Quicunq; me reperiet, occidet me *Geneſ. 4. v. 14.* Stricto itaq; Jure delinquens extra locum delicti deprehenſus ab extraneo Magiſtratu, ejusdem arbitrio puniri poteſt, neq; hic delinquentem Magiſtratui loci delicti extradere tenetur, niſi id ex amicitia

citiæ Legibus, vel vi pacti reciproci faciat, ubi clauſula ſemper annecti ſolet, quâ ſe Magiſtratus invicem ad parem officiorum præſtationem obligant, annexis reverſalibus; quibus præjudicio jurisdictionis violandæ meriendo præcavetur. Hanc v. poteſtatem puniendi magiſtratui tantùm competere ſtatuimus, non v. cuilibet privato; quod quidem vult Vir Magnus Grotius *L. 2. c. 20.* §. *3.* Nam Privatus delinqventem puniturus nec jure puniendi, nec jure vindictam explendi id facere poteſt.

§. XV.

Coronidis loco cognatam præſenti materiæ quæſtionem ventilemus; quid ſentiendum de *Majeſtatis Perſonalis* termino ac Jure. Equidem defendere conantur diſtinctionem illam, inter realem & perſonalem *Libenthal. in Polit. Exerc. 7.* §. *3. Althuſ. in Polit. & alii* allegati à Culpiſio *Exercit. Grot. c. 2.* §. *6.* quo in loco Opinionem Puffendorffii diſtinctionem illam refutantis amplectitur. Et rectè quidem contra omnes Autores Contrarium ſentientes: Tolerari tamen poſſet eadem diſtinctio alio & ſaniori ſenſu accepta, & imprimis præſenti materiæ accommodata. *Perſonalem* enim *Subjectivæ* Majeſtatem dari poſſe, (1.) talem, quæ Perſonæ Imperantis tantùm cohæret, adeò ut extinctâ perſonâ nihil Juris tranſeat in Heredes, evidentibus Regum electorum exemplis conſtat. Quorum Liberi, vivente Patre coruſcant quidem radiis dignitatis paternæ; mortuo verò umbram magis quàm ſplendorem retinent, memoriâ Patris venerationem qualemcunque ſuſtinente: quæ ipſa verò etiam exſpirat penitùs, ſi filius genus vitæ elegerit nativitate & priori dignitate inferius *arg. l. 8. & ſeqq. ff. Senator.* Eadem decidendi ratio eſt in fœminâ, quæ, vidua ſi manſerit, conditio-

nem mariti retinet. *d. l.* Si verò ad ſecunda vota transierit, ſecundi mariti conditionem ſequi tenetur, niſi prioris dignitatem vel mariti conſenſu inter Principes, (cujus exemplum præbuit Dux Lotharingus Eleonoræ Reginæ Poloniarum Viduæ ſecundus maritus factus, relicto illi Majeſtatis Regiæ titulo) vel Privilegio Principis inter privatos *L. fin. d. t.* Filios Regum in Regnis Electitiis excludi poſſe, & excluſos fuiſſe, teſtatur præſens ætas noſtra. Imo nec vivo Patre ad conſilia publica facilè admisſos fuisſe, niſi ingens populi favor in id conſenſerit, patet ex Eberhardo Waſſenbergio in *Vladislai IV. Rebus geſtis P. 2. L. 1. p. 5.* Regem nimirum Sigismundum III. à Proceribus Regni rogatum fuisſe; ut vocaret Filios ſuos ad audienda Regni conſilia, utq; hoc ipſo gerendis Regni curis ſensim asſveſcerent. (2.) Perſonalis *ſubjectivè* Majeſtas dici poteſt ex communicatione quorundam Majeſtatis effectuum, qui concedi ſolent illis perſonis, quæ proximâ Jurium communione, ipſum Principem regentem contingunt. Ita *Auguſta* Imperatoris, *Jure ſuo, Legibus ſoluta non eſt, Principes tamen eadem ipſi Privilegia tribuunt, quæ Principes habent*, egregiè ita disſerente JCto in *L. 31. ff. de Legibus.* Jure itaq; ſuo Auguſta Jus Majeſtatis Regiæ realis non habet, ſed illius effectibus quibusdam fruitur, vel Imperantis voluntate, vel populi indulgentiâ, vel utriusque Conſenſu, lege fundamentali declarato. Ita Principis *Auguſti* voluntate; Livia Auguſtæ titulum conſeqvuta; quem tamen *Trajani* Uxor deprecata eſt, teſte Plinio *in Paneg.* Principis licèt voluntate & voto Populi Romani *nomen Auguſtæ* & Jura ipſi deſtinata fuerint. Legè verò fundamentali quandoq; cautum, ut Regina iisdem Majeſtatis juribus fruatur, quorum Rex ipſe capax eſt: cujus rei exemplum præbet

Caſti-

Caſtiliana ſive *cognatica* Succesſio. Sæpe etiam Conjugibus hic ſplendor denegatus fuit; Ita Auguſta Imperatoris primum dignitatis locum non habet, ſed eidem præcedit Rex Bohemiæ, Strauch. *Diſſ. Jur. publ. 2.* §. *3.* In *Agnatica* porrò ſeu *Francica* Succesſione, Fœminæ Reginæ perſonalisſimâ tantùm gaudent Majeſtate, adeò, ut pupillari Regum ætate, Vicario Poteſtatis Regio munere defungantur; impletâ verò filii pubertate, loco & Jure cedere cogantur. Vid. Hiſtor. Ludovici XIII. ejusdemq; Matris apud Gramond. *L. 1. p 57.* Multò magis verò hoc Jus perſonalisſimum Perſonas Reginarum, in Electitio Regno, intra anguſtiores externi etiam ſplendoris limites continet. Ita Lege fundamentali Regni Polon. Regina coronari nequit, niſi ſit Romano-Catholicæ Religioni addicta, teſte *HartKnochio de Rep. Pol. L. 2. c. 1. p. 28.* referente ibidem exemplum Helenæ Alexandro Nuptæ, ſed Græcam Religionem profesſæ. De ipſius coronatæ Reginæ conditione ita Cromerus *L. 2. Deſcript. Polon. Verb. Non juratur in verba Reginæ, nec ei defertur ulla poteſtas aut Jurisdictio.* Idem Majeſtatis Splendor, ipſos Principes Conſiliarios Status Intimos colluſtrat, ita ut & hi, perſonali quodam Majeſtatis effectu gaudeant, qui in poſteros non tranſit. Ita crimen læſæ Majeſtatis committi dicitur in eos, qui ſunt de corpore Principis h. e. in Intimos Conſiliarios *L. 5. C. ad Leg. Jul. Majeſt.* Confer. *L. 1. ff d. t.* Electores verò & Status Imperii, & Jure totius Imperii communi, & proprio Jure, Majeſtatis jure gaudere, res evidens eſt, & plerorumque Juris Publ. Scriptorum Judicio probatur. *Obſtat* dubium; an in hereditario Regno, quod non regnanti tantùm Principi, ſed ſimul toti familiæ deſtinatum eſt, Principibus remo-

Digitized by Google

tioris gradus hic Majeſtatis effectus competat, ut ne à Rege ob delictum aliquod puniri poſſint? Reſp. Diſtinctione aliquâ hoc dubium ſolvi poteſt factâ inter delicta privata, quibus privatorum Jus læditur, & publica, quæ tendunt in perniciem publicam. Priori caſu delictum ne quidem inter privatos eſt cauſa amittendi Juris ſui, niſi à lege pro cauſa habeatur. Cur ergo Princeps filius hujus Juris communis beneficiô privandus? Familiæ verò toti Jus ſuccedendi in Regno conferri, demonſtravit accuratisſime Magnif. Dn. Becmann. *in Diſſert. de Jure Subd. c. 5. c. 2. §. 5. & ſeqq.* De poſteriori caſu intelligendus eſt ſermo Condæi, Principe dignus, occaſione diſcordiæ inter ipſum & Sueſſionenſem ortæ, ſuper exhibitione mantilis ad extergendas manus Regi menſæ accubituro, apud Gramondum: *Regi infinitis ſpatiis inferiorem eſſe Gaſtonem, etſi frater eſt: ita ſe Condæum, quamvis proximè inſiſtit, pro ſuperiore agnoſcere & venerari Gaſtonem Regis fratrem: qui inter utrumq; Gradus, etſi unicus eſt, in infinitis ſpatiis perſonas diſtinguere. Gradu proximiores Principes in eo ſtatu poſitos, ut in remotiores quandocunq; Jus vitæ & necis habere posſint, ſi fortuna volet; quibus nihil Juris in eos qui antecedunt, natura dedit, nihil fortuna datura eſt. L. 5. Hiſt. Gall.* Hæc jam ſufficiant; quæ quidem brevisſimè propoſita ſunt, ulteriorem tamen, ſcrutandi & extendendi materiam, occaſionem præbere poterunt.

S. D. G.

Digitized by Google

Corollaria.

I.

Legitimò Succesſore deficiente, cui Jus Succesſionis aliàs deberetur, nemini eſt licitum, regnum illud ſolo belli titulo occupare.

II.

Infideles, Paganos ac barbaros Populos, etiam ob gravisſima delicta, bello invadere non licet.

III.

In dubio & pari duorum Competentium Principum Jure, neutri licet bello ſeſe committere; Potior ratio eſſet defendendi duellum publicum Candidatis talibus permittendum.

IV.

Neq; traditio neq; occupatio eſt titulus ad transferendum dominium habilis.

V.

Negatus à Principe vicino tranſitus exercitui hoſtili, cauſam plerumque habet metum imminentis belli certum & proximum. Verum & remotioris periculi metus, non quidem Privatorum hominum, ſed Prudentiorum Judicio habitus ſufficientem cauſam negandi tranſitum juſtisſimè præbet.

VI.For-

Digitized by Google

VI.

Fortes non ſunt, qui violentas manus ſibi inferunt, cum tamen fortiores dicantur illi, qui ſe quàm qui fortiſſima vincunt mœnia.

VII.

Non in quemvis violentum Invaſorem Jus ſe tuendi eſt exercendum.

VIII.

Poteſt quis ſibi injuriam inferre & non inferre in eodem caſu.

IX.

Fides latroni data de certâ pecuniæ ſummâ promiſſâ, & juramento confirmata, ſervanda eſt.

X.

Non impunè tantùm ſed & juſtè quandoq; filius Patrem, Pater filium occidere poteſt.

VA 1 1521082